

aut magna damna afferre solent. Ad tranquillitatem autem plurimum facit consideratio hæc , quod quantumcumque possideas, id totum minimum est totius terræ comparatione : ipsa verò terra totius orbis comparatione , ne puncti quidem instar est. Quid ergo tam amplum est , vt partem aliquam possidere dici possis ? Eius verò , quod habes , nihil fermè tuum est , sed procuratorum , dispensatorum , famulorum , fictorum , amicorum , furum , si desint litigatores. Quin etiam qualis visus ? quanto plures in culina , tanto plures qui tussiunt , screant , tractant cibaria iisdem sordidis manibus , quibus feces detergunt , & stercoraria vasa efferrunt. Ipsa verò vita quam breuis est , cuius initium fini cohaeret , & in cuius principio nihil certi habeas , in fine nihil superfit ? Denique te ad teipso , miseriores conuerte , & latus viues. Inspice triremum calamitates , carceris duritiem , xenodochiorum fecunditatem , stabulorum inopiam : in quibus stipula & sumus pro vestibus hominum sunt : cæterum nudi iacent media hyeme , squalore illuvieque obliiti , fame , frigore , morbisque variis afflitti , vt eorum multi ne manum quidem ad colligendam stipem extendere valeant. Intuere illum , qui iacet ad viribus nostræ portam Ludouicam perpetuo in lecto , cuius pedes , præcisi à reliquo corpore , antè illum positi sunt. Narrat Chrysostomus , vidisse se Demophilum quemdam , claris parentibus ortum , iam quindecim annis perpetuò trementem , in summa paupertate , cum unico seruo trahere vitam. Alium nomine Aristophneum Bythinium , conuulsionibus totum distortum , iam per sexennium in maxima omnium rerum inopia cum ancilla solum vixisse , cum nullus ob fœtoris magnitudinem illi appropinquare auderet. Conuerte te deinde ad damnatos ad metalla , ad lapidinas , captiuosque Turcarum , vbi vxor , filiique singuli diuersis dominis venduntur , distrahendi & asportandi in longinquissimas regiones , vnde nec suorum nomina audire licebit : filia & vxor prostituuntur , filij in catechis impuberes ad fæda ministeria , puberes ad fodiendam terram adiunguntur , & tamen hi omnes viuere volunt , tu verò deploras tuam calamitatem. Quid de priuatis omnibus dicam , nulla domus miseria aut cruce sua caret. Si diues , insidiæ , liuor , discordiæ : si pauper , omnia desunt. Inde morbi & metus omnia exagitant. Hæc cum tu considerabis , in summa tranquillitate viues. Restat , vt de prudentia agamus , in qua facto magis , quam verbis opus est. Peccatur autem circa illam multis modis. Primum , ignorantia præceptorum , quæ hic traduntur : vñ quoque , atque ob id consuetudines loci callere oportet. Quod verò plurimum obest huic virtuti , est improuisum consilium , seu stultitia tua , seu arte inimicorum vel tecum tractantium , seu quod rei natura & præceps occasio nihil temporis det. Aduersus duos primos errores te exercebis diligenter , si non vñquam quidquam proferas aut deliberes , nisi perfectè intellecta re : item re etiam intellecta , nisi consilio peritorum in ea re adhibito. Nihil etiam arduum aggrediaris , nisi prius parentibus aut fratribus aut coniunctissimis adhibitis in consultationem. Responsum quoque in diem sequentem differas , etiam in leuibus negotiis , quæ inchoaturus es. Persæpè enim ex leuibus initiis magnæ in tota vita mutationes eueniunt. Considera etiam cum quibus negotium tractas , amicine sint an inimici aut æmuli tui , item prudentes an stulti , improbines an simplices , quæ causa eos impellat , vt te solicitent. Semper verò ab his , qui te vrgent cauebis , & rem ipsam , quo magis impellunt , differes. Doli enim pellis est celeritas , & , qui vrget , dolum armat : qui retardat & remittit , compedes illi iniicit. In repentinis autem casibus , quantum potes , te retrahere , & id saltem cognosce , an doli quidquam subsit ? Id etiam caue , ne in irreparabilia mala te coniicias. Deinde , quos potes in consilium adhibe , & Deum in primis roga atque consule. Optimum est autem ut prius periculo occurras , quam vi ipsius rei , totiusque negotij coactus atque inconsultus ad rem accedas. Casus quoque prudentiæ consilia ne perturbet. Si audis falsa narrarem , assentiri melius puta , quam contendere : sed , si potes , non audire melius est. Abstinebis etiam scommatibus , memor eius , quod accidit Antiphoni à Dionysio , & Pertinacis filio à Caracalla , cum eum Geticum , quod fratrem Getam occidisset , per iocum appellasset : statim enim occisi sunt ab illis quos scommate offenderant. In vniuersum autem memineris maximam stultii , tñ partem , imò totam fermè , in nimia de se ipso existimatione consistere. Nam qui minus , quam decet , de se pollicentur , hos timidos solemus nominare ,

qui